

Christus ipse disertè explicat, non virtutem & efficaciam Corporis & sanguinis sui duntaxat nobis exhiberi: Sed Corpus quod pro nobis traditum: Sanguinem, qui pro nobis effusus. Iam autem Corpus Christi κατ' ἰστίαν pro nobis traditum, Sanguis Christi κατ' ἰστίαν pro nobis effusus. Ergò κατ' ἰστίαν etiam corpus & sanguis Christi in S. Cœna cum symbolis externis sint verè præsentia, necessarium fuerit consequens.

70. V. Extremæ impudentiæ, profligatæ audaciæ, horrendæ blasphemiæ est, verbis institutionis Christi, opponere contradictoriam. At qui statuere Corpus & sanguinem Christi, tam procul abesse ab Elementis Cœnæ, quantum summum cœlum distat ab ima terra, nihil est aliud, quàm promissioni Servatoris, in tabulis hisce Novi Testamenti fœderalibus comprehensæ, contradictoriam opponere: Christus enim affirmat: Hoc, quod vobis manducandum præbeo, est corpus meum: Sacramentarij negant dicentes: Hoc, quod nobis manducandum offers, non est Corpus tuum. Ergo.

71. V. D. Apostolus, 1. Cor. 10, 16. Panis, inquit, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi. Panis autem non abest à nobis tanto spacio, quanto cœlum à terra: sed verè præsens exhibetur.